



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 76. Principum atque Illustrium obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

## §. LXXVI.

Sæc. XVII.  
A. C. 1694.*Principum atque illustrium obitus.*

Jam supra Leodiensis Episcopi mortem retulimus, supersunt tamen alii Principes, ac Nobiles, qui hoc anno eandem æternitatis viam ingressi sunt. & primo quidem Natalia Kiriliowna Petri Alexovicii Magni Moscoviæ Imperatoris Mater supremum obiit diem Februarii quartum anno ætatis suæ vigesimo tertio: Hanc morte sequebatur die vigesima nona Septembris annos natus sexaginta novem Leopoldus Ludovicus ultimus lineæ Veldenziæ Comes Palatinus Rheni, cui Christianus II. stirpis Bischweilerianæ successit. Decessit quoque die prima Martii Victoria Ferdinandi II. Magni quondam Florentiæ Ducis Vidua, jam annos nata septuaginta & unum. Vivis insuper valedixit die octava Decembris Rainutius II. Dux Parmensis & Placentinus anno ætatis suæ sexagesimo quarto: Successorem habuit Franciscum Farnesium Filium suum: Obiit quoque die undecimo Januarii Franciscus Princeps de Lislebonna Dominus de Commercy, qui annum ætatis sexagesimum octavum attigerat. Denique naturæ debitum solverunt Sophia Agnes Mega-

*Hist. Eccles. Tom. LXXVI, R lopo-*

Sæc. XVII. Iopolitana Dux, & Parisiis Joannes Ludovicus Aurelianensis, qui a Societate A. C. 1694. ob mentis imbecillitatem dimissus, Regis beneficio Longavilleam Abbatiam, & postea ex hæreditate Neocastrensem Principatum obtinuit, ac propterea magnæ interpropinquos liti ansam præbuit: Die quinta Septembris Mutinæ Franciscus Atestinus Dux ætatis quidem nonnisi triginta quatuor natus, calculi vero molestia acriter vexatus mortalitatem exiit; cumque improlis esset, Raynaldus Cardinalis defuncti Patruus dimissa, ut supra retulimus, Purpura regimen suscepit: Denique Naupliæ in Peloponeso die sexta Januarii ex calculi doloribus interiit septuagenario major Franciscus Morosinus seu Maurocenus olim supremus Veneti exercitus, & postea totius Reipublicæ Dux, qui inter palmas de Turcis reportatas consenscens, etsi supremum Reipublicæ clavum teneret, raro exemplo summam in castris auctoritatem retinere jussus est: Successorem die vigesima quarta Februarii nactus est Sylvestrum Valerium, qui inter omnes Duces primus erat uxoratus, tanti a Venetis habitus, ut Elisabetham Quirinam ejus Conjugem Ducali corona simul cum Marito decorarent, eique permetterent, ut ejus Aulam Nobiles Ma-

Matronæ contra gentis usum frequen- Sæc. XVII.  
tarent. A. C. 1694.

§. LXXVII.

*Antonii Arnaldi Sorbonæ Doctoris  
fata.*

Luxerat hoc anno tota Jansenistarum *Necrologe*  
factio suum Papam, suum Abba- *de Port Ro-*  
tem, oraculum, ac commune refu- *yal. Bayle*  
gium Antonium Arnaldum, qui sicut *dist. lettr.*  
olim Herostratus incenso Dianæ Ephe- *tom. 4.*  
sæ Templo famam sui nominis dilata- *Abrege de*  
vit, ita Arnaldus dissensionum incen- *Hist. Eccl.*  
dio per universam Ecclesiam sparso no- *tom. 13.*  
minatissimum se reddidit: Enimvero *Calmet Hist.*  
jurati ejusdem hostes illum ad inferos *Univ. t. 17.*  
usque depresserunt, eumque hominem *pag. 549.*  
sui impotentem, aliorum contempto-  
rem, iracundum, superbia turgidum,  
& arrogantem orbisque pestem, sæculi  
sui probrum appellitant, ac tot vitiis,  
quot Argus oculis, notatum depingunt,  
ejus vero sectatores illum suis pennis  
ad sydera extollunt, Solemque minori  
damno Orbi, quam Arnaldum Eccle-  
sæ eripi scribunt, hujus Viri charita-  
tem, mansuetudinem, omnesque virtu-  
tes summe deprædicant, ac unice ora-  
tionis, prophetiæ & Miraculorum dona  
ei attribuere reformidant. Ita pro af-  
fectuum diversitate diversum erat de

R 2

hoc